quam fundamenta meniorum[91] sunt locata, passim in interiora civitatis illabentes, donec per populum civitatis undique concurrentem comportatis quidem aggeribus et sulcatis campis aquarum decurrencium impetus per planiciem campi diversus a civitate prohibitus est et aversus. Et ecce mirabilis mutacio dextere excelsi! illo namque tempore diluvii instabant dies festi carnisprivii, in quibus ex more solent homines communiter ad epulas et ad choreas et ad publicorum ludorum spectacula convenire. Sed protunc tanto aquarum diluvio territi populi eisdem diebus profano huiusmodi ludorum ritu in melius commutato indictis siquidem per clerum publicis letaniis et processionibus ad honorem dei et sanctorum cum devocione et spiritus contricione ad ecclesias et sanctorum reliquias certatim cum frequencia confluebant. Sic itaque in ultima ipsarum processionum die, que fuit 11. mensis Februarii, officio divino et missarum solempniis expletis cepit stare diluvium et aque decrescere, domino misericordiarum taliter disponente.

Eodem insuper anno mensibus augusto, ~~et~~ septembri et octobri surrexit in corporibus hominum communiter quedam vehemens passio satis rara et stupenda, ex naturalibus tamen causis, prout dicunt physici, procedens; quam ~~quidem~~ ipsi maniam vocant, alienacionem mentis cum mirabili gestu corporum atque insania pretendens.

91 meniarum cod.